



~~17~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

17-28. VITEBERG.

SIGNAT. ~~17~~CCXIII.

צַצְמוּת מֶלֶךְ אֲדוֹם
שְׂרֹפָה

I. E.

OSSA REGIS EDOM
COMBVSTA

AMOS. II, 1.

E CINERIBVS QVODAMMODO EXCITABIT ET
PRAESIDE

VIRO MAXIME REVERENDO

DN. IOANNE CHRISTIANO
HEBENSTREITIO

SS. THEOL. LICENTIATO ET LINGVAE S.
PROF. PVBL. ORD.

FAVTORE ET PRAECEPTORE FILIALI CVLTV
PROSEQVENDO

QVID DE IIS SIBI VIDEATVR CVM ERVDITIS
DISPVTTATIONE PVBLICA

IN AVDITORIO THEOL. PAVLINO

DIE XX FEBRVAR. MDCCXXXIII. HABENDA

COMMVNICABIT

OTTO NATHANAEL NICOLAI

COESELENSIS MISN.

SS. THEOL. STVD.

LIPSAE

LITERIS IOAN. CHRISTIANI LANGENHEMII

OTTONI REGIS EDOM

Agmöt melek edom serüfot

COMBUSTA


COMBUSTA

DI IOHANNI CHRISTIANO

OTTO N. THANN


LITTERE IOHANNIS





Q. D. B. V.

§. I.



Liter plurimas variasque causas, quae <sup>Facta plu-
rima in sa-
cro codice
obiter et
incidenter
allegantur.</sup> scripturam in rebus historicis, aliis-
 que, ad fidem et mores non perti-
 nentibus, (in hisce enim quam ma-
 xime est perspicua,) intellectu dif-
 ficiliorem reddunt, non dubium
 est, quin recte referatur, quod in
 ea passim quaedam citantur gesta,
 quorum tamen nulla in eadem
 vberior mentio inuenitur. Exem-
 plo sit citata ab Hosea Salmani contra crudelissime deua-
 statam ab eo domum Arbeel pugna c. X, 14; commemorarum
 item Iudae v. 9. Diaboli cum Michaeli Archangelo de
 corpore Mosis certamen; ipse Moses in promulgatione le-
 gis Sinaitica *ἕνθετος γενόμενος* Act. VII, 32, de quo tamen
 scripta Mosaica silent; Iannis et Iambris Mosis in Pharaonis
 aula resistentium audacia, 2. Tim. III, 8., terrae motus, Amos
 I, 1. Damascenorum in Gileaditas faeuicia l. c. v. 3. aliaque
 eiusmodi complura.

§. II.

*Huc pertinent
ossa regis Edo-
mi a Moabo
combusta.*

§. II. Hisce accenseri debet locus, quo Moabitis combustionem ossium regis Edom grauiter exprobrat summisque vindicandam supplicii minatur Amos; cuius sensum non satis patere sicut interpretum dissensus satis ostendit, ita potiore obscuritatis causam ex eo, quem modo allegauimus, fonte accersendam esse, quilibet facile largietur. Nempe eundem propter historiae breuissimam et veluti obiter saltem iniectam mentionem pleniorisque commemorationis, quam in codice S. frustra quaeras, defectum aliquanto difficiliorem esse, lectoresque tenere incertos, quis est, qui non videat? Atque hoc est, quod quaedam de eodem pro viribus impraesentiarum disserendi animum fecit. Verba Prophetæ Cap. II. i. haec sunt:

כֹּה אָמַר יְהוָה עַל־שְׁלֹשָׁה פְּשְׁעֵי מוֹאָב וְעַל־אַרְבַּעָה
לֹא אֲשִׁיבָנּוּ עַל־שָׂרְפּוֹ עֲצָמוֹת מֶלֶךְ־אֲדוֹם לְשִׁיר:

Versio Luth. Germanica.

So spricht der HERR, um drey und vier Lasten willen Moab will ich ihr nicht schonen, darum, daß sie die Gebeine des Königs zu Edom haben zu Aschen verbrannt.

*Recentiorum
interpretum
dissensus, lo-
cum 2. Reg. III.
indicari affir-
mantium.*

§. III. De hisce Amosi verbis asserere audemus, illa nullibi locorum in sacris oraculis legi, et ni auctoritate huius Prophetæ istud Moabi facinus ad nos peruenisset, perpetuo posteritati ignoratum fuisse. Equidem optimos felicesque Bibliorum interpretes dissentire, nos non fugit. Plerique enim ad locum 2. Reg. III, 27. confugiunt, cum quo collinere effatum Amosi perhibent. Proelium, uti historia ibidem docet, committebant coniunctim reges Israël et Iudæ et Edom, cum rege Moabitarum Mesa, qui deuictus et pro-
fliga-

flagatus in oppidi sui moenia se recipiebat, praesidium ibi fractis viribus quaerens, ex quibus in castra hostium cum 700. manu strenuis erumpens, filium regis Edom cepisse, ab huius sententiae propugnatoribus dicitur, cumque a tribus hisce regibus obfessus, ad extremam redigeretur desperationem, regiam illam prolem mactasse, Diis suis immolasse, et in conspectu patris omnisque exercitus urbem obsidentis cum ossibus concremassetur. Ita statuit R. D. Kimchi Comment. ad h. l. (*) quem deinde secuti videntur Clarius, Arias, Munsterus, quos vid. in Criticorum sacrorum Tom. III. et ex recentioribus imprimis Cocceius, et qui eum allegat sequiturque, celeberrimus Ioh. Marckius in Exercit. Exeger. in L. loca V. et N. Test. Exercit. XXIII. §. 3. p. 402. Ante eos veteres plerique omnes, *והוא*, Hieronymus, Rufinus aliique, quos Casp. Sanctius ad hunc locum allegat Opp. T. II. p. 267. 268. filium regis Moabitarum ab ipso patre, Mesa, immolatum fuisse vno ore interpretantur. Causam dissensus praebet affixum Hebr. *ו*, tum reciprocam tum relativam significationem, ob penuriam pronominum admittens, et tam *filium eius*, quam *filium suum* significans. Vbi obiter obseruo, alios apud Petrum Martyrem, allegante laudato Marckio l. c. p. 402. ita explicare, quod rex Edom filium Moabi in eruptione ab hostibus facta ceperit, et eum in muro vrbis obfessae, quem ab extra conscenderit, in conspectu incolarum necarit, quod tamen durius et improbable.

§. IV. In hoc igitur doctissimorum hominum diuortio quorsum te veritas? stante hinc peritissimi Iudaei, quem litterarum hebraicarum gnari magni facere solent, auctoritate, et tantorum virorum, qui eum sequuntur, suffragio;

Quod non videtur.

A 3

il

(*) Verba Kimchii sunt: *הוא זה שחבר כספר עלים וקח את בנו עו*
Hoc idem est, quod dicitur in Libro regum: et sumisit filium eius etc.
 Et ante eum Aben-Efra h. l. ait: *עו אומר על דבר ועליו עליו ואמר כן*
עו אומר על דבר ועליו עליו ואמר כן i. e. *Sunt, qui dicunt, hisce verbis respici ad locum 2. Reg. 3. et obtulit eum in holocaustum, et postea eum combussit, vel, et tunc eum combussit.*

illinc longe vetustioribus nec infelicibus sacrorum oraculorum interpretibus disensum imperantibus? Vincant ergo rationes, quae an fati fonticae sint, ad secessionem a viris iam laudatis modestissime faciendam, penes aequum lectorem iudicium esto. Locum nempe Amosi non factum regis Mesae 2. Reg. III. sed recentioris cuiusdam respicere, tum patebit fortasse, cum et rationes, quae isti explanationi obstitunt, producentur; et dissentientium celeberrimorum, imprimis Marckii argumenta expendentur, tum vero subducta ratione sententia feretur.

a) Quia Propheta de rege Edom, historicus de filio regis loquitur.

§. V. Amosum ad historiam in Commentariis de rebus Regum traditam animum non intendisse, ex eo haud paulo plus quam probabile est, quia Propheta מדין regem Edomitarum a Moabitis combustum fuisse, Historicus vero *filium regium*, siue Edomi in eruptione captum, siue Moabiticum ab ipso parricida Mesae iugulatum, hoc enim ad praesens negotium parum facit, refert. Excipiunt quidem dissentientes, hoc momentum tanti non esse, ut obstare queat, quo minus inter duo illa loca optime conueniat. Nam filium regis, paulo post patrem ad plures euocatum, rerum summae praefuturum, a Propheta commodissime appellari potuisse regem, nullum esse dubium; accedere, quod criminis exaggerandi gratia, regem quam regium filium vates appellare maluisse haud incongrue videatur. Sed durius esse et ab usu, sacrarum certe literarum, remotius, regni haeredem regis nomine venire, ipsi vident credo, qui in isthoc parum tuto receptaculo causae adeo infirmae praesidium quaerunt; neque etiam hic quaeritur, quid dici, et quomodocunque, accita in subsidium topologia aliqua, in alium atque alium sensum deflecti possit, sed quid Amosum dicere voluisse probabile sit; neque denique, quid aliae linguae non respuant, siquidem in latina dictione istud non alienum esse ex eo largimur, quod Linius I. Bruti filios cum Tarquinii superbi familia conspirantes, ad excitandam illis apud plebem inuidiam, cui regia potestate et nomine nihil magis exosum erat, de accipiendis in urbem

urbem *regibus*, collocutos fuisse, L. II. init. ait; sed quid linguarum orientalium genius ferat, videndum est.

§. VI. Accedit, quod regium filium Historiarum regiarum conditor *immolatum*, regem Edomitarum Amosus *combustum* לָשִׁיר in calcem affirmat. Vbi quidem necesse non est, ut cum Chaldaeo existimes, Moabitas ex his cineribus calcem confecisse, eaque domus suas in ignominiam combusti regis, infensissimique in regem Edom odii testificandi gratia obleuisse. (*) Hebraeum enim לָשִׁיר tam in calcem quam in cineres verti potest. Vnde fatius videtur existimare, factam hanc combustionem in calcem fuisse, ad significandam plenariam corporis mortui destructionem; suadente id Esaiâ, qui c. XXXIII, 12. populos ad calcem concrematum i.e. in cineres redactum iri minatur, et momente Kimchio ad h. l. (**). Non tamen ideo, quia et holocausta combustionem in cineres rediguntur, inferre licebit, utroque in loco eundem actum denotari. Vt ut enim in re ipsa nihil est pugnae, nusquam tamen legas, hostiarum destructionem sacro igne peractam, per combustionem aut לָשִׁיר aut לַאֲפֵר factam, describi. Si, inquis, duo in ista ἀποδοξασθησιν concurrissent, *materiale*, i.e. combustionem, et *formale* s. oblationem ad placandos Deos; illud expressisse Amosum, alterum dissimulasse, non exclusisse: haud proclive est, intelligere, quomodo vates atrocitatem facinoris Moabitici exhibiturus, id, in quo minus est criminis, proferat, quod multo

(*) Chaldaei verba sunt: על האוקרר ברמי מלכא דאדום וְשָׂדֵן בְּיַדָּא בְּיַדָּא בְּיַדָּא Ideo quia combussit ossa regis Edom, et obduxit iis parietem domus. Ita et R. S. Litzhak, vulgo Iarchius h. l. פעס אהן נפל חקך אדום ביד חוקך מואב ושאר עממותיו ועמו בקירות הבית ותבע הק"נה ארצת אדום ביד חוקך מואב ושרפו עממותיו וכו' Aliquando incidit Rex Edom in manus regis Moab, et combusserunt ossa eius, et obdlexerunt iis parietes aedium: at vultus est Deus benedictus hanc oppressionem regis, quia eum contentum tractauerant.

(**) ופרתו אשר שרפה גמורה עד שדיו אפילו בעצמות אפר כמו בשאר וכן ופי' עמים משרפות אדום i. e. combustio in cinerem, denotat plenariam combustionem, eo usque, dum ossa erant puluis, vii accipitur Is. 33, 12.

multo atrocius est, fileat. Nefandum est, fateor, occidere hominem, nihil minus regium, quam regiam fobolem publice cum contumelia iugulare; at si cum horrendo sacrilegio hostiae humanae conferatur, parum est; ibi in mortale genus, hic in immortalem Deum peccatur ritu ipsi naturae abominando. Humanas quippe hostias mitiores gentes semper auerſatas esse tum aliunde, tum ex Curtio IV, 3. 23. de Tyriorum sacris patet. Caedem ergo et combustionem humanorum ossium taxasse Prophetam, tam horribile autem sacrum verbis celasse, quis credat? longe grauius scelus, immolationem, quis non potius eum allegatum fuisse existimet, quam multo leuius, nempe combustionem?

§. VII. Neque parum momenti in combustionis *Obiecto* situm est, ad astruendam vtriusque loci discrepantiam. *Ossa* enim regis cuiusdam combusta leguntur in Propheta, id quod primo statim conceptu naturali veluti quadam necessariaque idea, atque adeo vulgari vſitatissimaque, de effosis cadaueris sepulti ossibus capitur. Historicus autem de homine nondum sepulto, sed ritu victimarum iam recens iugulato et protinus combusto loquitur. Frustra hic quis regereret, quod ossa latiori sensu sumta totum cadauer per synecdochen partis pro toto significare possint, vti alias *ossibus* molliter precamur cubare, item *ossa* componi dicuntur, cum de exequiis sermo est. Nam ad tropos non temere, sed vrgente demum summa necessitate, confugere licet; et ex occidentalibus linguis non bene iudicari de orientalium genio, paulo ante dictum fuit. Excipit hic doctissimus contrariae sententiae propugnator, hocce argumentum, quod strictiorem ossium significatum vrget, leuidentem admodum esse, quia Amosus neque de ossibus absque carne combustis, neque de diu ante mortuo et sepulto quicquam addat. Non enim legi (liceat hoc adiicere ad mentem eius lectoribus planiorem reddendam); *quia combusserunt ossa defuncti sepultique Edomitarum regis carne per putrefactionem nudata*. Sed quid opus erat, haec vatem addere? cum ipsum vocabulum *ossa* prima formalique notione sua haec omnia infe-

7) *Propheta de Ossibus combustis loquitur, his victimis de immolata Diis victimis.*

inferat. Qui enim de combustis ossibus loquentem audit, intelligit vtero; neque hominem viuum, neque funus carne integra vestitum, sed exuias putridis carnibus, tumulo eructas indicari. Imo vero, si res haec tanti esset, inuertere liceret argumentum; siquidem existimandum est, si Propheta Mesae factum intelligi voluisset, clarioribus et additamento quodam determinatis verbis illum fuisse vsurum et dicturum: *Quia ossa iugulati regis Edom nondum sepulta et cum carne combusta.* Vox enim non nisi cum a primo et proprio suo significato recedit, restringenda et limitanda est.

§. VIII. Neque hoc etiam est praetermittendum, cui non plane nihil roboris ad demonstrandam vtriusque loci diuersitatem inest; quod ab Amoso crimen non solum enorme, sed et quodammodo inusitatae morositatis taxatum videatur fuisse. Poscit hoc collatio cum caeteris facinoribus gentium superiori capite notatis; qualia erant, Damascenorum v. 3. et Ammonitarum v. 13. in Gileaditas, Tyriorum, in foederatos inde a tempore Salomonis et Hiram Iudaeos v. 9. feritas etc.; et a Propheta analogiam istam seruatae etiam hic fuisse non improbabile est. Iam vero nec *dydgorio-Durice* nec crudelitas in hostem captum siue necando siue cremando admissa, admodum inusitata tunc erat, vt Moabus per alterutrum enormiter et prae aliis, pro istorum quidem temporum consuetudine, peccauerit, ideoque hic *imprimis* reprehendendus minisque poenarum adeo atrocibus excipiendus esset. Nam, quod nobis quidem, mitioribus gentibus hodie horrendum dictu, horrendum auditu est, ipsi Israelitae mores vicinorum imitati, Molecho homines immolabant, et de Tyriis idem vel ex Curtio constat IV. 3, 23. ad quem locum, quae *Raderus* habet, videre licet, ne iam alia commemorarem; neque tamen cap. I. v. 9. Amosi vbi Tyrii expressse arguuntur, neque cap. II. v. 6. vbi Israelitae, huius *dydgorio-Durice* mentio vlla fit. Hostem autem, qui iure belli in potestatem venit, e medio tollere, sublatum cremare, rigida ista aetate res non ita magna erat: ergo neutrum factorum Mesae in filium regium, sed aliud multo, non quidem

§) Propheta
aliquod cri-
men Moabitae
peculiare in-
suetumque
taxat.

retrius, sed tamen inusitatus et ab omni humanitate remotus, ab Amoso Moabitis exprobratum fuisse non immerito videtur. Non enim his duobus capitibus grauiora, sed simul etiam inusitata crimina Prophetam arguere, suspicari liceat.

1) Mesa, Moabitum rex, captiuo regis Edomiticum filio seruato, pacem potius sibi comparasset, quam eum obruncasset.

§ IX. Ecquid vero, quod omnino aliquo loco habendum esse largientur aduersarii, Mesam adeo stupidum adeo vecordem fuisse credamus, ut non obsidis loco filium regis a se captum, seruaret potius quam adeo crudeliter in illum defaciens occideret? An ita eum iracundia et intemperie animi occoecatam putes, ut e re sibi fore non praeuideret, tam eximium futuræ pacis pignus in potestate potius habere, quam insolenti isto ac temerario potius quam strenuo facto hostes multo magis exacerbare, regesque iam plus nimio infensos, ad maius odium excitare, quos seruato filio mitigare et ad opimas condiciones flectere potuisset? Hoc enim tanto nouae amicitiae, noui foederis, pignore non modo ad obliterandam veterum offensarum omniumque iniuriarum bello illatarum memoriam, verum etiam ad comparandam factis induciis honestissimam gloriosissimamque pacem usus erat.

Quod enim sequioribus temporibus commodum ex obsidibus, ex Demetrio Philippi Macedonis filio, et ex Antiocho nobili loco patris Antiochi Romae feraato ad Romanos Iustin. XXXII, 2. 1. Maccab. I, 11. et ex Tryphonis duobus filiis ad Ionathanum 1. Macc. XIII, 15. 16. redundabat, eodem Mesa, nisi plane despuiisset, magna sua et gentis tum salute tum gloria gaudere potuisset: obsidiam enim usum etiam tum obtinuisset non est dubium. Quae si recte expendantur, Mesae Moabitarum potius, quam regis Edomiticum filium fuisse obruncatum, sacroque igni deuotum intelligetur, et, quod inde consequitur, huic Amosi loco cum isto nihil intercedere commercii facile apparebit.

2) Improbabile est, regium Edomi filium ita facile capi potuisse.

§ X. Caeterum, qui in eruptione captum a Mesa Edomiticum regis filium fuisse tam confidenter asserunt, parum memores consuetudinis regum regionumque filiorum, quod pace tantorum virorum dixerim, videntur esse. Non enim ita sui solent esse prodigi, non adeo venalem manu ferunt

ferant animam, vt ante primos ordines incédant, primoque adeo impetui erumpentis ex oppido hostis temere pateant; neque etiam hoc aut patriae aut exercitibus saluti foret; solent potius post principia stare et e loco tutiori rebus laborantibus consulere; vt siue proelio decernendum est, siue hostis intra moenia sollicitandus; nihil suo vel vitae vel libertatis periculo committant, cuius milites ciuesque omnes poenitere possit. Vnde merito iis semper curae cordique est, et merito sane, vt tutiori consistentes loco a primipilorum inuasionem securi, bellum dirigant potius quam manus ipsi conferant, iniuriisque irruptionem facientis hostilis audaciae se exponant. Hinc verosimile non videtur, regem regisque Edomi filium adeo sui fuisse negligentes, vt in principio aciei stantes primo statim manus tam paruae impetu capi potuissent alteruter. Affirmat autem historicus, quod non parui momenti est, conatos quidem fuisse regum foederatorum aciem perfringere Moabitas, sed ipsa prima statim inuasionem repulso, se intra moenia infectis rebus recepisse: *וְאֵלֶּיךָ יָשָׁבוּ* nihil enim efficere poterant. At non sane nihil, sed longe plurimum potuissent, si regis filium surripuissent; quam felicitatem sacer codex sine dubio in ista rerum Moabitarum angustia ac penuria, rebusque eorum tantopere accisis, non siluisset.

§. XI. Caeterum Amos Moabitarum delictum tam grande tamque atrox verbis ita breuibus stringit, vt breuioribus non potuisset; destruit aut labefactat certe et hoc, quantumcumque initio quidem videri queat, convenientiam vtriusque saepius commemorati loci. Si enim peccatum Moabitis hic exprobratum tam vetustum fuisset, vt ad Mesae a Ioramo focis Edomitibus oppugnati aetatem referendum esset, sine dubio, vtpote plerorumque animo iam iam elapsam, prolixiori quadam commemoratione indignuisset. At cum tribus saltem, quod aiunt, verbis indicet, ejusque, tanquam omnium viae adhuc memoriae obuersantis, mentionem quasi obiter iniiciat: multo recentius factum, et nuper admodum perpetratum fuisse non inepte con-

**) Factum Mesae ob vetustatem prolixioribus verbis ab Amoso recensendum*

iicias. Si enim rem adeo vetustam, nec nisi e commentariis historicis, quorum vero, illis imprimis temporibus, plebi perraro solet esse copia, noscendam carpsisset Amosus, aut frustraneam operam adhibuisset, causam paucissimis notam agens, aut ut intelligerent auditores, clarioribus eandem expressisset coloribus, ita in exponendo tanto reatu sibi verandum esse ratus, ut crimen commissum, quale esset, cuilibet constaret. Quis enim (nisi operam, quod sapientis non est, perditurus) scelus carpat, quod omnium memoriam ob vetustatem iam subterfugit? Factum vero Mesae et Amosi aetatem centum, et quod excurrit, annorum spatio inuicem distare, computantibus facile liquefceret. Nam conflictatum fuit cum Mesa sub ipsa regni Ioram, Israelitici regis, primordia; siquidem quinto imperii eius anno obiit Iosaphat, Iudaeorum rex, belli illius socius, 2. Reg. III. 1. VIII. 16. 17. Ioram regnat annos XII. 2. Reg. VIII. 25. Iehu successor XXVIII. 2. Reg. X. 36. Ioahas XVII. 2. Reg. XIII. 1. Ioas XVI. 2. Reg. XIII. 10. Ierobeami anno XXVII. ad gubernacula accedit Vsias, quo regnante Amos sacro munere functus est. En tibi centum integros annos, qui inter Mesam et Amosum intercesserunt. At probabile est, eum non primo statim Vsiae anno, sed paulo post, prouinciam sacram obiisse; et, si quid Rabbini, imprimis Iarchio (*) tribuimus, vigesimo ad minimum supra illum centesimum, vaticinatus est anno. Nam

(*) Comment. ad Hof. I, 2. נתבטלו בימי עזריה נתבטלו בימי עזריה ויהוה רומע ישעיה עמוס ויזכר ישעיה נתבטל עזריה ויזכר עמוס חסדקס וגו' והוא היה יום שבתבטע עזריה עכסכו לדיכל שרעשו סעלומים לשורם ותחפורם לטלמו כעסנן סל ערת קרס סדיו כס בלועין וטרוסין עמוס חל' סקתים לכי כרעס i. e. Rabbini nostri dicunt: quatuor Prophetae vaticinati sunt tempore Vsiae, Hoseas, Iesaias, Amos, Micha: Et Iesaias quidem, quia dicitur e. 6, 4. et commoti sunt postes liminum etc. et hoc factum est eo die, quo percussus est Vsias (lepra) quia intrarat in templum; quo tempore contremuerunt superiora ad comburandum eum, et inferiora ad deglutendum eum, iuxta poenam congregationis Korachi, quorum quidam fuerunt absorpti, quidam combusti: de Amoso dicitur: eum prophetaffe biennio ante terrae motum (eundem scilicet) e. I, 1. etc.

Nam *terrae motus*, quem biennio anteuertit Amos ^{Cap. I. v. 1.} eo tempore Palaestinam concussisse, ab iis traditur, cum V *fas* rem sacram facturus in sacra adyta irrueret; a quo tempore filius eius Iotham annos tum XXV. natus 2. Chron. XXVII, 1. vicibus regis functus legitur l. c. Cap. XXVI. 21. quem tamen ante patris XVI. annum, quo rex factus est, genitum fuisse vix credibile est.

§. XII. Urgent alii alia, quae singula parum forte, cum aliis iuncta, non nihil roboris habent, neque hic planguntur praetermittenda. Contendunt, Edomitibus neutiquam ius competuisse reges sibi faciendi, sed oportuisse eos potius a Iudaeis, quibus tunc subiecti fuerint, accipere; hoc iis iure per Dauidem felicem gentis victorem adempto 2. Sam. VIII, 14. nec tum Iosaphati tempore restituto 1. Reg. XXII, 48. unde consequi existimant, Edomitici regis filium ab Amoso regem appellari non potuisse, vtpote nullo successionis iure gaudentem, sed arbitrio Iudaici regis Patri post fata incerta admodumque dubia spe, denique surrogandum. Et quanquam non negatur, Edomitas salua subiectione, singulari victorum concessione potuisse suos e regia familia mortuis parentibus reges sufficere; quo modo ipsi etiam Iudaei Babylonico imperio subiecti, tum paulo ante captiuitatem, tum post reditum e Babylonia, suffragante tamen Babylonico et Persico, cui parebant, imperatore, principes sibi e familia Dauidica adoptabant: deficientibus tamen in Edomitarum causa eiusmodi vestigiis, specie probabilitatis non omni, hoc qualicumque manipulo contra dissentientes militari posse videtur. Porro in voce *רָקַל* quam habet historicus, et *accepit* filium, inuenire sibi aliquid videntur, quod in rem suam sit. Illam enim non tam de capto, et aliunde acquisito, (sic enim dicendum fuisse *וַיִּקְרַח*) quam de eo, quod iam ad manus sit, recte vsurpari aiunt, atque ita a Mesa non immolatum fuisse filium alienum, quem iam denique ceperit, sed quem iam antea in potestate sua habuerit, id est, suum.

*Expenduntur
aduersario-
rum argu-
menta.*

§. XIII. Atque haec sunt, ob quae Amosi vaticinium a viris doctis paulo confidentius ad Melae facinus trahi, videtur. Quibus, quantum opus erat, expositis, rationes ab altera parte stantes, qua oportet cum viris eruditis et praeclare meritis agi, modestia videre libet. Vbi in ipso statim limine fatentem audimus moderatissimum, nec unquam sine summa doctrinae et humanitatis laude citandum Marckium l. c. pag. 404. sub fin. *Se nullam videre necessitatem, cur verba Amosi debeamus referre ad historiam regum;* ad alteram tamen opinionem eamque praevis omnibus ignotam, quod vulgo solent felicia ingenia, propendens, affirmare non dubitat, *narrationem istam ab hac redargutione Prophetica non adeo diuersam esse, ut non commode satis de ea intelligi queat.*

*1. Iniurias post
tantum tem-
poris spatium
interiectum
non valde ad
vindictam
pellere.*

§. XIV. Primum quod eum ad secessionem faciendam mouet, hoc est: quod non videatur dudum mortuus rex in nuptura demum inuisione post tantam temporis moram inde ab accepta offensa interiectam, effossus et combustus fuisse; quia recens afflictio magis, quam quae tempore oblitterata est, ad vindictam pellat. Quod argumentum, sicut contra eos imprimis aliquid valere posset, qui Amosi dicta de illo ipso Edomitarum rege, Melae aduersario, a quo ad incitas redactus fuit 2. Reg. III. sequioribus temporibus effosso intelligunt; nostramque proinde sententiam infra §. 18. proferendam non tangit: ita ne illos quidem magnopere offendit, quia, licet tempore oblitterata afflictio minus fortasse ad vindictam pellit, quam recens, pellit tamen, alios magis, alios minus, pro vel offensae quantitate vel offensi animi indole. Sic recentiori aetate Branchidas, gente Milesios, tunc Persiae incolas, Alexander M. direpta eorum vrbe ad unum omnes caedi iubebat, quia ante plusquam centum annos Xerxe Graeciam vastante templum Apollini sacrum domi in Xerxis gratiam violarant. ap. Strabonem Libr. XI. p. 786. ed. Amstel. 1707.

*2. Noua facta,
ob aliquam
circumstantiam
narratae di-*

§. XV. Alterum, ob quod vir cruditissimus veterum interpretum auctoritatem sibi deserendam, et Amosi locum eundem cum illo, qui in libris regum legitur, statuendum esse

esse ducit, eo redit, *quod noua facta praeter necessitatem ob ueritatem aliquam circumstantiae narratae diuersitatem non fini ponenda. non esse ponenda.* Verum istud axioma, uti in hermeneuticis magni merito fit, ita an hic locum habeat, ideo haud absque ratione dubitatur, quia non sane aliquam, sed variam ingentemque circumstantiarum diuersitatem hic dari superioribus §§. probatum iuinus, adeoque nec qualiscunque, sed magna omnino necessitas est, quae mentem meditantium de duorum horum locorum conuenientia ambiguam facit, atque ab ista sententia auocat.

§. XVI. Tertio loco, illud Mesae facinus publice inque conspectu Israëliti, Iudaici, et Edomitici exercitus editum, tantoque magis etiam publice notum, rectius inter crudelitatis argumenta poni ait, quam aliud non ita publice gestum atque notum, quale in Amosi loco supponant ii, qui ab hac sua, recentiorumque plurium interpretatione recedunt. Verum enim vero, uti combustio a Mesae facta, licet satis crudelis, satisque tum temporis, cum publice in muro perageretur, nota, vetustate tamen, et longiori temporum tractu oblitterata esse potuit §. II. ita combustio alia eaque recentior, temporibusque Prophetarum propior, quid prohibet, quominus aequae publice facta et vulgo notissima esse potuerit?

§. XVII. Tandem peccatum Moabitarum, quod Propheta arguit, tale statuendum esse affirmat, quo in Dei sacro facto clappopulum deliquerint; id quod ex iis, quae in caeteris gentibus per totum caput primum vituperentur, non obscure colligi possit; iam vero in illo Mesae facto clarissimam in Israellem spectari iniuriam, quae in hoc constiterit, quod Edomitum rex ob ereptum sibi atque ignobili adeo morte confectum filium offensus, irato animo a foedere et societate Israelitarum defecerit, domumque cum exercitu reuersus, felicem victoriae cursum sufflaminarit, hostique copiam vires animumque recipiendi fecerit. De qua Edomitum in foederatos concepta indignatione, illud *hisp.* quod super Israellem fuisse, sacra pagina 2. Reg. III. 27. interpretatur, h. f. *et Edomitae ob illatam tantam familiae suae regiae cladem*

3. *Immolarium filii regii a Mesae factam publice magis innotuisse, quam priusquam aliquam combustionem et ideo rectius inter crudelitatis argumenta a Propheta referri potuisset.*

4. *Ex hoc Mesae facto clappopulum deliquerint, id quod ex iis, quae in caeteris gentibus per totum caput primum vituperentur, non obscure colligi possit; iam vero in illo Mesae facto clarissimam in Israellem spectari iniuriam, quae in hoc constiterit, quod Edomitum rex ob ereptum sibi atque ignobili adeo morte confectum filium offensus, irato animo a foedere et societate Israelitarum defecerit, domumque cum exercitu reuersus, felicem victoriae cursum sufflaminarit, hostique copiam vires animumque recipiendi fecerit. De qua Edomitum in foederatos concepta indignatione, illud *hisp.* quod super Israellem fuisse, sacra pagina 2. Reg. III. 27. interpretatur, h. f. *et Edomitae ob illatam tantam familiae suae regiae cladem**

cladem in Israelem odio exarserunt ita irreconciliabili, ut ab eo facta secessione domum redirent. Quae Kimchii etiam est interpretatio in hunc locum. (*) Verum initio a viro doctissimo supponi videtur, Moabo ob illatam Israeli iniuriam, Amosum excidium minari; at quidni etiam aliud quodcunque contra aequitatem naturalem commissum scelus aeque, ac contra Israelem perpetratum, Deum ad vindictam concitauerit? Tum, si omnino libet reatum Moabi in delicto contra populum Dei quaerere, inueniemus forte in eo, quod Edomitas effossis et combustis regis ossibus ignominiose tractans, contra Abrahamum, communem Esau et Israelis stipitem, gentisque vtriusque autorem, atque sic contra ipsos Israelitas peccauerit, quae A. Esrae ad hunc locum coniectura est. (*) Nam hac quidem ratione multo grauius sine dubio in Israelem deliquit Moabus, quam quod secessionis Edomitarum ab Israele causa fuit. Si enim fuisset, illa sane secessio a societate belli gerendi (defecisse enim Edomum a subiectione Israelitarum, ne ipsi quidem sententiae autores interpretantur) nec contumeliae nec damno esse potuit Israelitis; siquidem et absque his pares esse Moabo tantopere iam fracto et debilitato, nunc poterant.

Probabilior
sententia ex-
ponitur.

§. XVIII. Declinatis ergo hisce tantorum aduersario-
rum telis, non tam immolatum a Mesa Moabitarum rege,
Edomitici regis filium, aut effossium combustumque ab eod-
dem, post recuperatas ab accepta clade vires illum ipsum
Edomitam, Mesae victorem, quam potius alium quendam,
Amosi

(*) Verba Kimchii sunt: ויסקף כיה מנהל ארום על ישראל מיהם דוד ויבא משה מנהל מואב ערק את בני מנהל ארום בתלמוד שהו כיה עם עמדי וי' על ז' למיך כעמו כלל ית על ז' i. e. indignatio illa orta fuit a rege Edom aduersus Israelem, ab eo tempore et ultra, ideo quia rex Moab combussit filium regis Edom in bello, quod cum eis (Israelitis) aduersus Moabitas gesserat. Hinc etiam puniuit eum (Moabium) Deus benedictus eam ob causam.

(**) Ad verba: ויבא משה מנהל מואב ערק את בני מנהל ארום לשר. Observat: ויבא משה מנהל מואב ערק את בני מנהל ארום לשר. Combussit Moab ossa regis Edom, in consensuum, cum tamchis (Edom) esse e filiis Isacii.

Amosi temporibus propiorem, Edomitarum regem hanc a Moabitibus iniuriam retulisse remanet. Atque hoc tantum fuisse facinus existimandum est, ut merito suo acerrimam iustissimi numinis vindictam in se posceret; quod ut, quantum opus est, confirmetur, in eo nunc nostra qualiscunque versabitur industria.

§. XIX. Hic quaedam nobis dari velimus, quae haud *Quaedam* difficilius a liberalitate humanissimi lectoris impetraturos *supponuntur:* esse confidimus. Vnum est, quod iam maiorem partem *a) peccatum* §. 17. occupauimus translegimusque, peccati huius Moabitici *Moabiticum* grauitatem atque foeditatem non necessario in iniuria *potius sua* aliqua contra Israëllem et Iudam esse quaerendam, sed eam *foeditate,* in hoc haud obscure deprehendi, quod superbus hostis Edo- *quam, quod* mitas ipsos, Abrahami posteros adeoque Israëliitarum ex Esa- *ad Israëlem* uo Iacobi germano cognatos, indignissimo modo exceperit. *relationem* Hos Deus ideo alibi mitius et ipse habuit, concedendo *habet, Deo* iis montana Seir, regimen non contemnendum, sed, in- *exosum fuit.* terprete Patre Isaac hanc felicitatem ei omine haud sinistro praedicente, diuinitus promissum Gen. XXXVII, 39, et ab aliis haberi voluit, prohibendo Israëlitas in transitu per desertum a finibus eorum. Neque enim odium Dei in Esauum ex Mal. I, 1. 2. huc allegare licebit, quia ibi non de Esauo, qualis in se est, sed qualis in relatione ad Iacobum, agitur; siquidem non, quia Iacobus magis dilectus a Deo fuit, quam Esauus, hic Dei cordi esse ita desuit, ut eum ludibrio vicinorum impune exponeret, neque eius quodammodo magis quam aliarum gentium rationem haberet. Ast si hoc non placet, satis esse ad tam feueram poenam, quae ab Amoso praedicatur, Moabo diuinitus immittendam, potest, quod scelus perpetrarat Deo sua foeditate ingratum.

§. XX. Deinde dubium esse non potest, quin istis iam *a) Ossa sepul-* temporibus sepultorum ossa, siue ex effreni in hostes fa- *torum iis iam* uendi libidine, siue etiam ex alia quacunque aequiore cau- *temporibus* sa, e tumbis efferre vsu obtinuerit. Iosiam enim legimus *erui non inu-* ossa profanorum tum sacrificulorum tum plebeiorem de se- *sicatum fuisse.* pulchris eruta destructo altari Bethelitico impostuisse et combussisse 2. Reg. XXIII, 16. 20, nec multo post Ieremiam praedicasse, tempus affore, quo ossa regis Iudae, principum, fa-

cerdotum, Prophetarum et omnium incolarum Ierusalem effosa sub dio putredine consumenda sint, Cap. VIII, 1. 2. et Baruch ossibus regum et maiorum suorum e sepulchris suis cicctis ingemiscit, atque sic vaticiniis diuinis satisfactum esse non sine magno omnium moerore fatetur cap. II, 24. Hanc ipsam ob causam, teste Herodoto Lib. III. c. 16. p. 167. ed. Londin. 1689. pessime apud omnes sui temporis audiebat Cambyses; qui cadauer Amasis regis Aegypti iam demortui e sepulchro ereptum flagris caedi, vellicari et stimulis pungi iussit. Ac recentioribus temporibus idem contigisse liquet ex Sullae factis, cui viuis hostibus illudere non sufficiebat, nisi mortuorum etiam ossa e sepulchris canino more eruta in fluuium mergi iuberet, id quod Marii cadaueri factum Valerius Maximus L. IX, c. 2. scribit.

2) In sepulchrorum ossa faeuire, semper inhumanum ac ferum fuit habitum.

§. XXI. Tertio loco iniquum non postulabimus, si et hoc nobis rogabimus concedi, apud omnes non moratoribus modo sed et illas ipsas gentes, quae omnia fere naturae humanae vestigia exuerunt, semper inhumanitatis fuisse habitum, in ossa sepulchrorum faeuire, et proinde Lactantium Firmianum quodam loco, l. 5. 2. non magis oratorum ritu ad rem exaggerandam composito, quam vere, scribere, nullum Caucasum, nullam Indiam, nullam Hyrcaniam tam immanes et sanguinarias bestias vnquam aluisse, quas non illi superent, qui in mortuorum faeuunt ossa; ferarum omnium rabiem vsque ad ventris satietatem furere, sedata autem ea protinus conquiescere, hos vero multum illas excedere, quoniam non tantum artus hominum dissipent, sed et ossa ipsa comminuunt, et in cineres fundant, ap. Paul. Aringhum Roma subterr. T. I. cap. III. §. 10. Loquitur autem de Christianorum persecutionibus, quibus inter alia faeuitiae genera maxime solenne fuisse, sepultos de integro effodere Eusebius commemorat Libr. VIII. cap. 6. Vnde non accusandi sunt nimii rigoris istarum legum conditores, qui olim materias de sepulchris auferentes tanquam sacrilegii crimini subiiciebant. Imo proximum maiestatis crimen videbatur sepulchra violare, nec in hoste ipso tolerandum, et qui ossa extraherent, vel eruerent, humiliores si essent, summo supplicio afficiebantur,

tur, honestiores deportabantur, aut ad metalla damnabantur. vid. Iac. Gutherium de Iure manium Libr. III. cap. de sepulchro non violato, qui insertus est Graevii thesauro Antiqq. Rom. T. XII. et quos ille laudatus scriptor allegat Autores, vnde haec hausit. Et hoc erat, quod Atheniensium legati ad Aetolos querebantur, cum Philippi Macedonis factum, qui omnia simul diuina et humana iura polluens, omnia sepulchra monumentaque in finibus suis diruebat, omnium nudabat manes, nullius ossa terra tegi iubebat, detestarentur, ap. Liv. libr. XXXI. Inhumanum autem et probrosum valde esse exhumare mortuos et illorum insultare cineribus, ideo recte cum Sanctio statuitur, tum, quia honor sepulchri sunt vltima iusta naturae, quae defunctis decreuit viuorum pietas apud omnes pene gentes, tum, quia hoc est cum mortuis dimicare et eos rursus quasi interficere, tum, quia animae fit iniuria, cum eius corpus inhonestatur. Nec male iudicat, vix aliam ob causam Gentiles sepulchra dedicasse et Diis manibus inscripsisse, quam vt reuerentia Deorum violentas abigerent manus. Certe persecutores Christianorum veterum ideo apud rerum istarum scriptores pessime audiunt; quam in rem multa in Martyrologiis, ex quibus, quam impie in Martyrum non corpora modo sed et effoscos cineres atque ossa saeuitum fuerit, intelligi potest, relata legimus; v.g. quae apud Sebasten Palaestinae vrbem sepulchro Iohannis baptistae, iussu Iuliani principis, allatae sunt iniuriae; cuius funus rabida mente inuasum, ossa dispersa et iterum collecta, igneque cremata, cineresque eorum pulueri intermixtos per agros et rura dissipatos fuisse Rufinus hist. lib. 2. cap. 28. et Bacchanalibus sacris, mortuos de requie sepulturae auulso, dissipatos, distractos fuisse, Tertullianus auctor est. Dunani regis Homeritarum iussu in ciuitate Neagran horridae feritatis exemplo Pauli Episcopi sepulchrum effossum, illius corpus combustum et in aerem ventilatum fuisse, ita vt ne mortuis quidem, quibus omnium parcere solet impietas, tuta fuerit requies, cum multo pluribus Aringhus refert l. c. Quorsum haec? nisi vt horum testimoniis confirmationem, semper inhumanitatis fuisse habitum, in sepulcorum ossa saeuire,

d) *humandi
ritus est anti-
quissimus.*

§. XXII. Neque quarto loco a materia, quae sub mani-
bus est, alienum erit, obseruare, quod, cum varii funera ho-
norandi variis aetatibus vsu obtinuerint modi, sepultura ta-
men vt ritus antiquissimus pariter ac honestissimus apud mi-
tiores gentes, vetustiores imprimis et orientem incolentes,
maxime Iudaeos, et quibus aliquod cum iis auitae disciplinae
confortium intercedebat, magno in pretio fuerit; quorsum
refero Ammonitas, Moabitas, Edomitas, Ismaelitas, qui sine
dubio sepeliendi consuetudinem e familia Lothi et Abraha-
mi auorum elatam magni fecere, et eius asseruandae tenaces
fuerunt. Equidem inficias ire non licet, apud quasdam gen-
tes, non tam sepeliri quam potius comburi defunctos in ho-
nore positum fuisse, siquidem praeter Romanos suos mor-
tuos cremasse Carthaginenses constat, Thracum item et
Indorum senes exstructis incensisque rogis mortem oppe-
tuisse, Phrygibus etiam copora igni imponere in more fuisse
notum est. Nec apud alios populos alia quoque mortuos
tractandi genera, nostris quidem moribus inhonestissima,
fuerunt inhonesta. Iberi enim vultures olim, viua defuncto-
rum sepulchra alebant, Hyrcani canes ob id dictos
sepulchrales, Parthi item honestissimam sepulturam vul-
go auium et canum laniatus putabant; quae, et plura huc
facientia diligentiae debemus Petri Morestelli, in pompa fe-
rali, Libr. X. cap. 4. et 7. et Baetrianos Onesicritus scribit
Libr. III. cap. 10. ap. Strab. l. c. p. 786. senio mor-
boue confectos canibus, inde entaphiastis et quasi Vespillonibus
dictis, adhuc viuos exponere solitos fuisse. Vt adeo hic
vel maxime valeat, quod est in prouerbio *ὄσες τοῦ βασιλέως*.
Interea tamen humo inferendi defunctos consuetudinem
vti vetustate sic honore caeteros praeiuisse, vel inde quodam-
modo patet, quod apud Iudaeos sepultura denegata poenae
et ignominiae loco fuit, id quod Ioiakimo regi ominatur
Ieremias XXXII, 19.

d) *poenam ta-
men ab ossibus
etiam huma-
norum sumere
licet.*

§. XXIII. Tandem, ne nobis, ossium effossionem et
combustionem non plane illicitam esse aut prorsus culpam
dam, obiciatur; largimur hoc iustae in reos animaduersioni,
quod non modo sine culpa, sed et cum laude erui possint
exuiuae eorum, qui turpi vita et infausto funere, communis
matris

matris gremio excipi se indignos reddiderunt, quodque a iudice in id genus pessime meritos homines statui possint eiusmodi sententiae, qualem allegatus §. 19. Iosias non sine Numinis auctoritate in profana idololatrarum ossa statuisse in sacris commemoratur. Quod dum fit, neutiquam peccatur; iura enim nec diuina nec humana prohibent, quo minus poena promerita a demortui etiam corpore sumatur. Hoc modo Deus ipse hominis lapidibus obruti corpus per totam diem de ligno suspendi iubebat, Deut. XXI. 22. Gal. III. 13. vt spectaculo exemploque esset praetereuntibus; nec male, cum virgines Athenienses taedas exosae iugales se ipsas necarent potius, quam nubere, et alio modo a temerario isto reique publicae exitiali consilio absterri non possent, caedera carum abiiciebantur nuda; quod superstites, vt ad thori officium animum applicarent, tandem commouebat. Quod in totum corpus, id etiam in ossa, si aequae poscat iustitia, licebit.

§. XXIV. Atque horum momentorum, sigillatim adhuc, *Transitio ad demonstrationem.* quantum opus esse videbatur, confirmatorum, vsus erit, ad demonstrandum, a Moabo in regis Edomi ossa saeuiente, maximum commissum fuisse peccatum, dignumque, cui Deus per Prophetam tantam vindictam denunciaret.

§. XXV. Primo enim dubium nullum est, quin in ipsa iuris *Moab ossum regiorum Edomi combustione* naturae sacrosancta praecepta, quae mortuis parcere et ab eorum iniuria abstinere iubent, impetum nefando ausu fecerit. Naturalis aequitas ne in viuis quidem liuorem, et hostilem insectationem fert, aduersus eos praecipue, a quibus nihil periculi metuendum est, quanto minus aduersus mortuos, qui nocere desierunt, neque hostilitate aliquam amplius iustae vindictae speciem excusationemue relinquunt. Odium enim post fata quiescit. Atque ex eodem fonte, rectae rationis nempe dictamine, emanasse existimandum est istas leges, quibus olim a prudentioribus morum doctoribus cautum fuit, ne quid iniuriarum funera acciperent. Sanxerat dudum Chilo Laecedaemonius, τὸν τετελευτηκότα μὴ κολοιογεῖν, ἀλλὰ μαινεῖσθαι, memorante Phil. Camerario Hor. subcis. P. I. c. 3 p. m. 47. neque per Solonis legem Graecis licuisse mortuis maledicere auctor est J. Phil. Pfeifferus Antiqq. Graec. IV. 60. p. 1787. Hoc vnde, te quaeſo, hauserunt optimi isti legum conditores,

res, nisi ex interna animi conuictione, quam naturae legem appellare solemus? Quod si verbis non licet, re quanto minus licebit aggredi mortuos, imprimis tam tetra ac contumeliosa, qualis est ossium effosorum combustio? Et, si Thomam Aquinatem audire non piget l. 2. qu. 32. animam, quae adhuc in memoria uiuentium uiget, apud illos infamiam quandam sempiternam eiusmodi ignominia exuuiis illata subire cogi, sane perquam indignum est; quod certo futurum esset, si corpus, cui uita extitit, hac communi et naturali gratia, (de sepultura loquimur,) priuaretur; imprimis, quod addo, cum nescias, an non inter beatos coelites illa agat; unde tanto maior esset iniuria. Quod ut in hac quidem regis Edomitici causa non ualeat, Moabitam tamen mouere potuit, de manibus regis post hanc vitam supersticibus, et, uti priscarum gentium supersticium ferebat, heroum numero inferendis, ambitiosius procul dubio sperantem. Et quod sibi post fata ab hoste fieri uolebat, hosti facere non debebat, si naturam praecipientem audire uoluisset.

b) *Communem gentium in mortuos religionem transgressus est.*

§. XXVI. Quod si eum non commouebat, poterat sane communis gentium in mortuos religio, quarum nullam ita feram deprehendimus fuisse, quin eorum exuuias quodammodo sanctas, et a petulantia profani vulgi tutas esse uoluerit. Hinc tam operosa circa eos condendos, vel aliis iustis modis prosequendos olim fuit tum industria tum uarietas. *Iusta* id officiorum genus appellatum fuisse constat. Quae si iusta erant, suoque mortuis quodam iure debebantur, nihil in eos licere oportebat priuatae uindictae; et hoc quidem quodam quasi gentium consensu. Digna est, quae ad posteros transmittatur Pausaniae ad Lamponem quendam Aegineten oratio, qua ei, ut occisum in proelio Mardonium in crucem ageret, atque ita Leonidae, quem apud Thermopylas interemtum reciso capite Mardonius in crucem suspenderat, parentaret, suadenti respondit, se et patriam, si in mortuum faciat, omni laude cariturum; barbaros enim potius quam Graecos, qui hoc in illis improbant, decere. ap. Herodot. Lib. IX. c. 78. Hic quid aliud agebat, quam quod se hanc humanitatem etiam hostibus debere, eamque adeo ad gentium ius pertinere, Lamponi regerebat? Hoc factum quanquam isto Moabitico recentius est, docet tamen quantum naturale ingenium in cognoscendis officiis assequi possit. Quod si ille manium turbator ignorauit, sua culpa ignorasse censendus est.

c) *in ipsam humanitatem deliquit.*

§. XXVII. Porro ab homine equidem alienum non est, indignari, si enim homo hominem nunquam laceffitus, aequo durius accipiat, non tam probandum est, quam ob communem lapsae nostrae gentis

COMBVSTA. 23

tis deprauationem ferendum: at ita saeuire, vt ne crypta quidem exuuias hostiles furori subducere possit, id vero est, quod omnem humanitatem prorsus tollit. Tanto magis ergo auersandum est regis Moabitici in Edomiticum facinus, quo magis peccauit in humanitatem. Haec enim auersatur illam ignobilium ferarum saeuitiam in funera debacchantem. Rectius alii, licet et ipsi religionis profanae tenebris inuoluti, quid hac in re deceret, viderunt. Alexander Darii hostis funeri illacrymabatur, et parricidam Bessum acerrime multabat. Reges enim a regibus trucidari non solent, aiebat Saladinus Turcarum Sec. XII. imperator ad Francorum regem Guidonem, pracho Hittynensi in Palaestina a se victum, inque suam potestatem redactum, sed humanissime exceptum, ap. Bohadinum in Vita eius, superiori anno e Bibliothecae Lugduno-Batanae MSS. Arabicis a celeb. Schultens edita, et in actis Erud. Lipsf. mensē Febr. huius anni p. 55. laudata. Recentiora haec sunt exempla; sed cur humanae indolis non eadem vis ad moderandam animorum intemperiem olim esse potuit, quae sequiori aevo? et fuit sane, nisi violenter oppugnata ab affectuum aestu, in rudibus ingeniis succumbere coacta fuisset.

§. XXVIII. At dandum est aliquid, inquit, licentiae bellicae, vbi non omnia ad aequitatem, qualis domi et inter pacis studia obseruari et potest et debet, exigi possunt? Non videtur, nam bella sine legum et aequitatis cultura gesta, atrocina sunt non bella; et si quid bello indulgere oportet, id ad militum gregariorum non facile fraenandam libidinem pertinet, non ad principis imperium, cui turpissimum esse debet aut iubere aut facere quod vel media pace censuram meretur. Impiegit ergo hoc facto rex Moab etiam in ius belli. Hoc semper acquiescere iubet aut in victoria aut in captiuitate, aut morte victi hostis, longius vero progredi et ultra fata furere non finit. Bellum enim gerimus vt pacem acquiramus, quam mortui sane impedire nequeunt, hinc contra eosdem bellare neque licet, neque decet. Hinc Turnus apud Virgilium Pallantis a se occisi corpus ad eius patrem transmittens ait: Quisquis honor tumuli, quicquid solamen humandi est, largior etc. Aeneid. Libr. X.

§. XXIX. Denique Moabiticum in ossa regia crimen cum officio boni ingenique viri stare nequit. Nam vir bonus, quod sibi non vult fieri, alteri non facit. Nec fortem et probum virum decet cum laruis et vmbriis, quales sunt mortui, pugnare. Illiberale est hostem putare mortui corpus. Neque denique bonus vir regiam Maiestatem, quae, dum vinceret, sacrosancta fuit, in morte demum violat, contumeliosque exponit; quod cum ab eo fit, qui ipse rex est, tanto indignius esse, censeri meretur, quanto magis quilibet tenetur sui ordinis exultationi consulere eamque tueri. v. et §. 27.

§. XXX. Apparebit ergo ex dictis, Moabitarum Regem, non quidem Mesam, cuius 2. Reg. III. mentio fit, sed alium illo recentiorē, circa Amos tempora, Edomitarum Regis, non eius omnino, qui Mesam

d) in ius belli
impiegit.

e) officium boni
viri violat.

Conclusio.

24 OSSA REGIS EDMON COMBUSTA.

fam oppugnauerat, sed forte cuiusdam e successoribus, ob nouam aliquam offensam ossae tumulo eruta §. 19. crimine Deo maxime exoso §. 18. inhumano ac fero §. 20. in exultationem sepulti iniquissimo §. 21. ab exemplis quae allegari possint alienissimo §. 22. combussisse, et sic ius naturae §. 24. humanitatis §. 25. gentium §. 26. belli §. 27. officiumque boni viri §. 28. violasse, et propterea merito tantam poenam, quantum Amos minatus fuit, a Deo iustissimo vindice retulisse.

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE
DISSERTATIONIS
AUCTORI ET PROPUGNATORI
S. P. D.
P R A E S E S.



I quod Tibi unquam lubens volensque praestitum officium, Vir Iuuenis Ornatisime, illud certe est, cui hac scriptio obeundo occasionem Tua mihi industria praebet. Dissertationi de ossibus Edomiticis regis a Moabo combussis, diligentiae Tuae et foetui et testi, me Praesidem, qui Tuus in me inde a complu-

ribus annis satis mihi perspectus, est amor, elegisti. Hanc operam, ut Tibi non sine singulari voluptate loco, ita laborem istum feliciter exhaustum Tibi Tuisque, Optimae imprimis Marti, de Te haud sinistre sperantibus, ita gratulor, ut solent, qui amicorum bonis ex animo gaudent. Et quidni gaudeam, non solum Tibi adolescenti itineris olim literarii per apia, quod aiunt, dux, sed et post illud tempus adultiori aetate, scholam egresso et ad sublimiora sapientiae diuinae praecepta accincto, adhuc comes? Vimam plures Tui essent similes, qui, quod ex praeceptoribus didicerunt, in cathedram proferre auderent, ut, quam feliciter priuatim profecerit, publice constaret! Ego, ut Te tum ob ingenii animique singulares dotes laudo, tum hoc imprimis nomine praedico: ita felicem Tibi studiorum finem et apprecor, et, quod Deus faxit, ominari audeo. Scribebam

Postridie Iduum Febr. cl. lxxxxxxiii.



Ung. V 28

= [Dissertationes theol.
Vols 7 & 8.]

ULB Halle

3

001 831 976



VD 17 = 00



צצמות מלך אדום
שרופה

I. E.

OSSA REGIS EDOM
COMBVSTA

AMOS. II, 1.

E CINERIBVS QVODAMMODO EXCITABIT ET
PRAESIDE

VIRO MAXIME REVERENDO

DN. IOANNE CHRISTIANO
HEBENSTREITIO

SS. THEOL. LICENTIATO ET LINGVAE S.
PROF. PVBL. ORD.

*FAVTORE ET PRAECEPTORE FILIALI CVLTV
PROSEQVENDO*

QVID DE IIS SIBI VIDEATVR CVM ERVDITIS
DISPVTATIONE PVBLICA

IN AVDITORIO THEOL. PAVLINO
*DIE XX FEBRVAR. MDCCXXXIII. HABENDA
COMMVNICABIT*

OTTO NATHANAEL NICOLAI

GOESELENSIS MISN.
SS. THEOL. STVD.

LIPSAE

LITERIS IOAN. CHRISTIANI LANGENHEMII

